



**R. P. Christophori De Ortega È Societate Iesu, Quondam
Scolasticæ Theologiæ publici Professoris, ac ejusdem
Facultatis Præfecti ... Theologia Controversiarum
Dogmaticarum, & Scholasticarum, de Divina ...**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, M.DC.LXXX.**

2. De illuminationis Angelicæ materia & modo quo ab Angelis fit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94285](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94285)

sum, & Patres recitatos, & Theologos omnes: at-
qui secreti diuini transmissio ab Angelo in dæmo-
nem actus hierarchicus non est; ergo nec propria, de
qua agimus, illuminatio. Minor probatur: quia actus
hierarchicus is solum est, qui prouenit ab Angelo ra-
tione sui gradus, & officii, seu ministerij proprii hier-
archici gradui illi hierarchico destinati; aut instru-
ctio, & reuelatio mysterij, aut secreti diuini dæmoni
ab Angelo facta, nequit prouenire ab aliquo officio,
& ministerio proprio, & destinato alicui gradui hier-
archico: ut patet ex officiis, & ministerijs propriis,
cuique choro, & gradui hierarchico, à Theologis; &
à Dionysio designatis; ergo nequit esse actus hierar-
chicus. Confirmatur ex ratione ipsa pro affirmatiua
parte data, quia, quod Angelus competit ex statu bea-
tifico omnibus communi, non autem ex gradu hier-
archico, cuique proprio, non competit eis, ex officio,
& ministerio aliquo hierarchico: sed superioritas
Angelorum respectu dæmonum, ut hos connatu-
raliter de secretis Dei instruant, ac proinde ipsa in-
structio, non conuenit alicui Angelo ex gradu suo
hierarchico, proprio officio, & ministerio, sed ex
statu beatitudinis cunctis communi, ut ea ratione di-
cebat; ergo, nec superioritas, & potestas connatu-
ralis dæmones instruendi, neque ipsa instructio est
potestas, actusue hierarchicus Angelorum, ac proinde
nec propria hierarchica illuminatio, de qua agimus.
Probat secundum conclusio: quia illuminatio vnius
Angeli ab alio cum actiua, tum passiva, de qua hic,
tota intra ordinem hierarchici cum est, & continetur,
quin ad aliquam creaturam rationalem extra hierar-
chias, & gradus hierarchicos omnes posita exten-
datur; dæmones autem extra hierarchias, & gradus
hierarchicos omnes sunt positi; ergo eorum ab An-
gelis illuminatio propria, & hierarchica non est. Ma-
ior probatur: quia & si notissimum Dionysio, & Pa-
tribus, ac Theologis sit, ac fuerit, homines de pluri-
bus à suis custodiis infimæ hierarchiæ Angelis, in-
strui, tamen huius hierarchiæ, Angelis actiua illumi-
nationem, non tribuerunt, ergo quia illuminatio-
nem, de qua hic, ad aliquem extra hierarchias earum-
que, atque gradus omnes non extendi censuerunt.

12. Vigetur: quia ea de causa, à Dionysio, Patri-
bus, & Theologis Angelos omnes, in hoc illumina-
tionis negotio tripartitis, scilicet in Angelos,
qui non illuminant ab Angelis, alios illuminant, atque
in negotio illuminationis angelicæ actiue solum se
gerunt, & in Angelos, qui ab aliis illuminant alios il-
luminant, ac proinde actiue, & passiuæ se in illumi-
natione habent, & in alios, qui illuminantur, non autem
illuminant, ac se passiuæ profus in illumina-
tione gerunt: quo non solum actiua illuminationem
Angelorum (de qua hic) infimæ hierarchiæ, &
chori, seu gradus hierarchici in dæmones, & homi-
nes omittunt, (ut argumentum hoc ab auctoritate,
negatiua solummodo esse censi possit, sed expresse
negant illuminationem actiua propriam ad ali-
quem, extra omnes hierarchias, earumque gradus,
& choros hierarchicos positum (vnde dæmones positi
sunt) in Angelis esse, dariue vique posse. Tertio
principaliter probatur conclusio, ac probationes da-
te confirmantur: ex natura, & essentia ipsa illumina-
tionis de qua agimus definita à Dionysio de celesti
hierarchia, c. 1. dum hierarchiam, sic definit, est sacer or-
do, scientia, & actio, quæ ad diuinitatis similitudinem
(quod eius fieri potest, accedit & proportionem illustra-
tionum quæ ei diuinitas datæ sunt ad Dei intentionem
traducitur: ubi ab illis verbis, & actio, quæ, om-
nem actum hierarchicum ac subinde actum illumina-
tionis, de quo inferius agit, definit. Ex eis autem
verbis sic arguo, à actio hierarchica illuminatiua, seu
propria illuminatio est, quia illam tunc recipiens, tum
agens ad Dei similitudinem accedit, ad eiusque in-
tentionem traducitur; atqui dæmon in statu damna-
tionis nulla instructione de mysterio, secretone ali-
quo Dei ab illo Angelo facta adducitur ad intentio-
nem, & voluntatem Dei, neque ad Dei similitudi-
nem accedit, neque accedere, adducere ad alteru-
trum potest. Secundo quidquid dæmonibus ex my-

sterijs, secretisque diuinis reuelatur, ipsis nusquam
proficuum, & practice perfectiuium est, nec alicui,
cui ipsi bonum velint, sed omnia ad eorum malum
pauam, inuidiam, & rabiem: vnde, & si in pura spe-
culatione sistendo intellectus eorum manifestatio-
ne, ac proinde dæmones ipsi perficerentur, eisque
bona, ea manifestatio foret, aut, cum ex ea, non, ni-
si pæna, dolor, ira, rabies, & inuidia eis accrescat illos
absolute perficere, bonumque, & perfectionem abso-
lute afferre non possunt: ut de fide supernaturali,
quam eis ad tremorem, & pænales alios affectus
Deus, ut diximus, concedit, fatendum est. Confirma-
tur: quia manifestatione, seu intimatione, sententiæ
vel mortis, vel ad tritremes reus dubio procul, de eo,
quod ignorabat instruitur, atque veritatem, quam ig-
norabat cognoscit, & ibi sistendo, eius intellectus
perficeretur, bonaque illi ea cognitio foret; aut, quia
doloris, tristitiæ, & cruciatus causa est, nec bona Reo,
nec perfectio absolute est; illuminatio autem omnis
etiam late, nedum stride, & proprie sumpta (de qua
hic) bona, & perfectio absolute illuminati esse debet,
quod si bona hominibus sint secreta diuina, quæ, ex
Dei voluntate dæmoni ab Angelo reuelantur, ut ea
hominibus manifestent: id quidem hominibus bonum,
dæmoni vero malum est; atqui quod proinde,
non, nisi inuiti faciunt, & coacti, cum homines pesti-
me oderint, eorumque saluti inuideant, ac de se se
eorum perditionem anxij procurent.

CERTAMEN II.

De illuminationis angelicæ materia & modo
quo ab Angelis fit.

1. Circa materiam illuminationis, seu veritates,
quas illuminatione propria, & hierarchica, po-
test Angelus superior inferiori manifestare, suppo-
nenda aliqua sunt. Primum notitia, seu visionis bea-
tificæ obiectum non esse illuminationis hierarchicæ,
de qua hic obiectum, seu materiam; quia Deus ipse
obiectum, sui visionem intuitiuam, cuique beatorum
pro meritorum mensura, & quantitate se ipso, nec villo
intermedio Angelo communicat, nec ultra eam men-
suram ulterius alicui Beatorum à Deo adhuc augebitur
augeriue vique poterit. Secundo quia illuminatio
supremorum Angelorum primæ hierarchiæ, & chori
supponit Angelos beatos omnes, & cum visionem
ac per hierarchias, & choros dispositos; ergo Deus ipse,
non est obiectum, seu materia illuminationis hierar-
chicæ strictæ, & proprie; de qua hic, sed præsuppo-
sitæ intuitionis, & ante illuminationem hierarchi-
cam præuisum. Tertio, constat ex testimonijs Dio-
nyfij, & Patrum recitatis ubi illuminationem, ex il-
lustrationibus, eius veritatis, quam ante illam (ne
summi quidem Angeli fiebant) à Deo in hos imme-
diate immisissimorum habere, atque initium sumere
docent: Deus autem ipse à nullo Angelorum, in vlla
hierarchia posito nesciebatur. Confirmatur: quia illu-
stratio de visione Dei beatifica, qua Deus, ut in se est
videtur, nusquam dicitur. Confirmatur secundo: quia
illuminatio est actus purgans, illuminans, & perfici-
ens illuminatum ut ex Dionysio retulimus, & ex-
plicauimus cert. 1. n. 6. purgans scilicet à nescientia:
illuminans tenebras, & obscuritatem intellectus An-
gelici circa obiectum illuminatione manifestatum:
perficiens illum eiusdem obiecti & veritatis cogni-
tione, quam causat, in illuminato, circa Deum autem
ipsum in nullo Angelo, infimo etiam postremæ hierar-
chicæ, nescientia, ac tenebræ sunt cum clare illum
pro naturæ priori ad omnium in suas hierarchias, cho-
ros, gradusque hierarchicos, distinctionem, & dispo-
sitionem omnes Angeli videant: perfectio autem in
eo clare videndo absolute, seu quatenus ex parte ob-
iecti est, in nullo esse ob eandem rationem potest, ex
parte autem modi, seu intentionis videndi, illum ab
Angelo illuminante, nequit prouenire, sed ab specie
mm 3 impressa

intectum veritatis cognitione circa quam illuminatur. Secunda vero pars (quod scilicet obiecta, quæ Angeli, beati, vel de se, vel ex præsuppositis simul cognitionibus etiam circa supernaturalia possunt naturaliter cognoscere materia, & obiecta illuminationis hierarchicæ, non sunt) probatur quia illuminatio natura sua est completiva, & suppletiva virtutis naturalis intellectus Angelici ad cognitionem obiecti circa quod illuminandus est: atque circa, quæ vel de se, vel ex adiunctis, & præsupposita cognitione supernaturalis obiecti potest naturaliter intellectus angelicus cognoscere, completam habet eam cognoscendi virtutem naturalem, siue absolute, ac de se, siue ex adiunctis, & præsupposita supernaturalis obiecti cognitione; ergo neque deest naturalis eius virtus, aut naturalis eius virtutis defectus aliquis est ad præfata obiecta cognoscenda supplebilis; ac proinde, nec ad ea cognoscenda, illuminatio esse poterit, neque ea obiecta materia illuminationis. Probatur secundo ex testimonio Patrum recitatis cert. 1. n. 6. & 7. conclusio, & simul probationis proximæ maior, in eis quippe dicitur *indultum Angelis summis adeo sacratissimum in bar. & splendorem, ipsumque à Deo seu fonte luminis eos habere, atque illuminatione ad diuinitatem erigi, & excitari*, & plura alia quæ ultra vires, & exigentiam naturalem intellectus angelici beati & notitiam mysteriorum, & obiectorum supernaturalium in via habitam instructi, circa quæ, vel mediare à Deo illuminandus Angelus est, cognitionem esse declarant, indebitaque potius, & gratuito à Deo concedi.

5. Confirmatur: quia illuminatione roborari intellectum illuminati ad obiectum eius cognoscendum s. Thomæ & aliorum scholasticorum plurium sententia expressa est, ac rite intellecta roboratione, ab omnibus debet concedi, vt mox videbimus. Roborari vero idem est, ac addi intellectui Angelici beati illuminandi robur (quod nec de se nec ex adiunctis notitia supernaturalium obiectorum, quam ex via ad statum beatitudinis secum tulit, & quam ipso ingressu necessario recipit) ad obiectum illuminationis percipiendum, quomodocumque robur illud addatur. Confirmatur secundo: quia obiecta omnia strictæ, & specialis huius hierarchicæ illuminationis, de se talia, Dei speciali, & indebita efficientia, ac reuelatione egent, vt cognoscantur, possintque in actu primo, proximo ab illuminato, cognosci, vt statim dicemus: sed nullum obiectum, ad quod intellectus, vel de se, vel notitia alicuius obiecti instructus cognoscere naturaliter potest, eget speciali Dei efficientia, aut reuelatione, vt ab intellectu ita instructo cognoscatur: ergo nullum obiectum ab intellectu angelico, vel secundum se sumpto, vel etiam instructo notitia præhabita obiecti alicuius, etiam supernaturalis, naturaliter cognoscibile, obiectum, & materia illuminationis specialis hierarchicæ de se esse potest. Ne autem de cognitione naturaliter habenda ab intellectu angelico, ex præsupposita notitia alicuius obiecti supernaturalis, cuiusmodi, & cuius obiecti sit, dubites. Dico non esse eiusdemmodi obiecti, & eodem modo propositi, quod notitia præhabita obiectum erat. Id enim minime est vnum in alio, vel ex alio naturaliter cognoscere, atque ex eius cognitione præsupposita alterius cognitionem deducere, sed in præsupposita ipsa persistere. Aliud ergo obiectum ac diuersa cognitione cognoscendum est, verbi gratia, præsupponitur visio gratiæ, donec alterius supernaturalis Angelo infusi: inde naturaliter, eius physicas, & mea sententia de præfatione obiectiua visionis obiecti possibili) etiam metaphysicas passionem cognoscet, idem etiam obiectum partitis conceptibus, eiusque partibus poterit naturaliter cognoscere illud scilicet definiendo, quod simpliciter nouerat. Cum autem alterutra cognitio & notitia supernaturali præsupposita deducatur, supernaturalis etiam erit. Dices posse, aliquod obiectum naturaliter cognoscibile, ab intellectu angelico, vel nude sumpto, vel adiuncta alterius obiecti cognitione præsupposita; ipsi tamen casu ignotum (imo in mea sententia natura-

liter etiam euidenter notum: fidem enim cum euidente obiecti eiusdem, adhuc intuitiua, naturalis cognitione, consensio, componibile, & docui sapere, atque ex instructo probauit controuersus de fide, de Incarnatione, & his ipsis de Deo vno) reuelari Angelo superiori, & per hunc inferiori: ergo de eo esse potest hierarchica specialis illuminatio: ac proinde illud, & similia obiecta specialis hierarchicæ illuminationis obiecta, & materia esse poterunt. Negatur consequentia. Etenim reuelatio obiecti naturaliter ab intellectu angelico cognoscibilis æque connaturaliter fieret à Deo Angelis infimis, ac superioribus, quare illuminatio ex ea reuelatione & illustratione Dei inferiorum à superioribus facta hierarchica illuminatio non magis esset, quam, quæ ab inferioribus immediata Dei reuelatione illustratis, fieret superioribus: ac proinde ex officio, & ministerio proprio hierarchicæ, aut gradus hierarchici superioris non est; etiam cum ab eius Angelis obiectum illud reuelatum inferioris hierarchicæ, aut chori Angelis communicatur, ac subinde hierarchica stricta, & specialis illuminatio non est, sed quæ æque, ab homine, cui Deus immediate illud obiectum reuelaret illuminari Angeli possent. Requirit ergo obiectum hierarchicæ illuminationis eiusmodi esse, vt non solum reuelari à Deo possint, sed, nisi speciali Dei voluntate illa actiue physice, vel testificatiue manifestandi cognosci nequeant (quod naturaliter cognoscibilibus ab Angelo illuminando, non euenit) & pertineant ad ea, quæ non, nisi Deo, coniunctissimis, cum assistentia, tum amicitia, & charitate supernaturali, & familiarissimis (suprema hierarchicæ, & chori Angelis connaturaliori providentia oporteat ab eo, immediate reuelari.

6. Dico inde tertio. Materia seu obiecta specialis illuminationis hierarchicæ sunt mysteria omnia supernaturalia Angelis, nec in via, nec ipso ingressu ad beatitudinis statum quasi consecrariæ, reuelata, aut reuelanda Dei item secreta, consilia, & decreta, insuper secreta cordis rationalis cuiusvis creature alterius independentem ab eius voluntate ea manifestandi, futura item contingentia omnia. Rursus præterita omnia, quæ Angelus illuminandus, nec nouit, nec habet in se notitiam, unde ea possit cognoscere, quod si hæc ex libera voluntate Angeli alterius manifestari ipsi possint obiecta illuminationis hierarchicæ, non erunt, nisi quatenus independentem ab alterius huius voluntate manifestabilia à Deo sunt. Ita Sanctus Thomas 1. part. quæst. 107. artic. 2. bene intellectus, vt conclusio ne 4. explicabitur. Scotus ibi, responsione ad 1. q. 5. *Ad aliam questionem* Bassol. quæst. 2. art. 1. Ricard. art. 1. quæst. 2. & alij pro conclus. 4. referendi Soar. citat. cap. 12. num. 19. §. *Vltimus ergo* ac deinceps. Alarcon citat. disputatione 4. cap. 10. num. 5. §. *Tertio sequitur*. Probatur: quia hæc omnia, & singula, etiam naturalia, secundum modum tamen cognoscibilitatis, independentem à libera voluntate & manifestatione alterius rationalis creature, à qua manifestari absolute & naturaliter possent, sunt obiecta naturaliter ab Angelo illuminando non cognita, nec cognoscibilia, & quæ à solo Deo, vt speciali, & particulari causa physice actiua, vel testificatiua operante fieri cognoscibilia illuminando Angelo possunt, vt patet: sed quæcumque speciali Dei, vt causa particularis adiunctate siue physica, siue testificatiua egent, vt ab Angelo illuminando cognoscantur, suntque proxime cognoscibilia, sunt obiecta, & materia specialis huius hierarchicæ illuminationis: ergo obiecta, omnia præfata etiam secundum substantiam naturalia, sunt eiusmodi illuminationis materia, & obiecta. Probatur secundo: quia ea omnia sunt obiecta, & materia specialis hierarchicæ illuminationis inferiorum Angelorum à superioribus usque ad supremos, quæ his, vtpote coniunctissimis assistentia, charitate supernaturali, & familiaritate, oportet, vt connaturalius, quam aliis Angelis, quæ

quæ in secretis Deo sunt immediate à Deo manifestentur, aliisque non, nisi horum interuentu, quæ illis etiam velit ipse manifestari, atque ea omnia eo modo in secretis Dei sunt: ergo ea omnia sunt obiecta, & materia specialis huius hierarchicæ illuminationis. Addiderim cum Sanct. Thom. quæst. 109. artic. 3. hæc omnia debere esse, ut Deo actius Angelos, cum illuminatos, tum illuminandos, vel homines qui eorum interfunt, affectiue coniungere apta, nata de se sint, ut ex Dionysio cap. 3. de celesti hierarchia, & ratione diximus certamine 1. numero 11. & hæc sane, quæ hæcenus obiecta, & materiam hierarchicæ specialis illuminationis esse docuimus, de materia puro materiali, seu remota, non autem de materia proxima, & ratione sub qua intelligenda sunt: ad eum modum, quo peccata commissa, secundum se materia absolutiōis in Sacramento dicuntur, pure tamen materiali, & remota, proxima fecus, quo usque dolorifica confessione, tanquam ratione sub qua, vestiantur, ac proxima absolutiōis sacramentalis per eam constituuntur. Hanc ergo rationem, sub qua, & per quam præfata omnia materia proxima specialis hierarchicæ illuminationis formaliter fiant, restat explicare.

7. Idcirco dico quarto. Ratio, sub qua, seu forma, per quam obiecta prædicta & materia proxima specialis huius hierarchicæ illuminationis formaliter fiant, est reuelatio, & testimonium Dei ea reuelantis. Ita expresse Scotus, Bassolis, Ricard. Soarius, & Alarcon, ubi proxime Gabriel in 2. d. 9. quæst. 2. conclusione 4. Hierarchia quæst. 1. artic. 2. Okam. quæst. 10. artic. 2. Capreol. disp. 11. quæst. 2. artic. 1. conclusione 2. & ad. 1. argum. Durandi S. Thom. citat. quæst. 109. cap. 3. quæst. 107. artic. 2. quem citat interpretes, & discipuli plerumque sequuntur Valquez d. 216. cap. 5. num. 22. d. 217. cap. 2. num. 10. §. *Tertio denique nota*, sententiam hanc probat Sanct. Thom. quæst. illa 107. ex Gregor. 2. Moral. cap. 4. alias §. dicente. *Loquitur Deus ad Angelos Sanctos, eo ipso, quod eorum cordibus, occultis suis inuisibilia manifestat.* Sed certe, eo loco non agit Gregorius de manifestatione testificatiua, & per reuelationem propriè dictam, sed per physicam etiam actiua efficietiam cognitionis secretorum suorum in Angelis intuitiua, in hominibus abstractiua per occultam inspirationem, & quoties id agit Deus loqui etiam ipsum Angelis & hominibus dici posse, ut ex capitis contextu toto patet. Probat insuper ratione S. Thomas, quæ, quia non satis ab aliis quibus scholasticis penetrata est, pluribus debilibus impugnationibus, quasi efficacibus, locum fecit. Ait enim manifestationem, & cognitionem veritatis, cuiusvis, nisi, ut à Deo est, & ad Deum, qui prima, summaque veritas, ac prima subinde veritatis regula est, & ad eius voluntatem reducat, nec posse esse illuminationem hierarchicam Angelorum inferiorum à superioribus, nec obiectum eius eam veritatem, nec illuminatorum intellectum perficere; perfectione, scilicet, digna, & illuminatio. ne, & Angelis illuminandis. Porro quia illud, *ut est à Deo*, quidam efficietive, alij finaliter (id est à Deo, ut causa efficiente, vel finali) intelligunt, extra rem, & chorum variis impugnationibus in hanc Sanct. Thomæ rationem insulant; non aduertentes, nullum medietatem adhuc, Philosophum, nedum Angelicum præceptorem, dependentiam veritatis obiecti adeo actiue, vel à Deo, ut fine esse à Deo, ut vero, seu, ut prima veritate, & regula prima veritatis asserere potuisse, nec dubitare: cum dependentia à Deo, ut fine, ut à Deo bono, non autem, ut prima veritate, & veritatis regula esset, est igitur Sanct. Thomæ mens, & ratio veritatem obiecti propriæ, & specialis illuminationis hierarchicæ talem, ac tantam esse debere, ut à Deo, ut vero, non quidem in essendo, sed in cognoscendo, & dicendo, seu, qua prima veritatis regula est, pendeat, atque ad ipsam demum reducat: quod ipsum est,

in Deum ut testificantem, de obiecti veritate debere reduci, atque ab eius testimonio, & reuelatione, de obiecto, eiusque veritate assensum Angelis illuminati debere pendere, eique inniti. Idcirco non solum, ad primam regulam veritatis in cognoscendo, quæ intellectus est, sed in dicendo reducendam necessario esse veritatem obiecti illuminationis hierarchicæ, & assensum, quem ex illa adhibet Angelus illuminatus Sanct. Thomæ causa ratione dixit: loquidem ad voluntatem, etiam Dei recurrit, ad quam veritatem, in dicendo, & testificando spectat, ut ex citatis locis patet. Cuius rationem, ab absurdo aliam inibi adducit: quod alias, nec illuminatus Angelus digne se, & illuminationem hierarchicæ assensu præfuro, ex illa quoad intellectum perficeretur: quod exemplis ex humanis subiunctis probat, igitur rationis utriusque Sanct. Thomæ firmitas aduertentium impugnacionibus, nullatenus nutat, quod etiam dicendis clarebit.

8. Illuminatione speciali hierarchicæ, & assensu ex ea orto illuminato Angelo inferiori, circa eius illuminationis obiectum debet Angelus illuminatus ad Dei similitudinem, quod cum fieri potest accedere in cognoscendo veritatem, & obiectum, erga quæ illuminatur, ut aiebat Dionysius, de celesti hierarchia cap. 3. recitatus artic. 3. certamine 1. numero 11. aut ad eius assensum veritatis, & obiectum erga quæ illuminatur, reuelatione, & testimonio Dei innitatur, ad ipsumque tandem deducatur ut primam veritatis regulam, nequit Angelus illuminatus ad Dei similitudinem, in cognoscendo, quod eius fieri potest, accedere: ergo illuminatio, & assensus, ex ea præfatus ab Angelo illuminato, nequit esse de obiecto, & veritate, non reuelata à Deo, & qua à Deo reuelata, ut tandem ad testimonium Dei cui inniti debet, & primam regulam veritatis in cognoscendo, & testificando reducatur. Dixi similitudinem, ad quam accedere debet illuminatus Angelus ex Dionysij verbis esse in cognoscendo, & si enim hoc textus Dionysij non exprimat, virtute tamen, & implicite, in eo continetur. Tum, quia similitudo per illuminationem intell. eius propria est: tum quia si similitudo Dei, etiam per affectus voluntatis creata esse dicique recte possit, Dionysius utramque eo textu diuisit, & affectiua similitudinem, tanquam defectum intellectus, de qua verbis datis, postmodum immediatè h. c. significauit. *Et propriam illustrationem, quæ ei diuinitus data sunt ad Dei intentionem traducitur.* Ut citato num. 11. obiter dicam. Minor effortatus syllogismi facile probatur: quia quacumque demum ratione & motiua assensus, illuminati erga obiectum, & veritatem, & à quocumque, etiam à Deo, ut causa particulari actiua, vel mediis speciebus propriis, vel immediate loco peccatorum concurrente, proveniat, nequit assensus illo accedere, quam maxime, seu, quod cum fieri potest ad similitudinem Dei in cognoscendo, & assensuendo veritati, & obiecto illuminationis. Tum quia, & si physicam infallibilitatem (& metaphysicam, siue h. c. assensus alteri rationi, & motiua, quam Dei testimonio, innitens habeat, non tamen diuinam, quam habet assensus præfatus obiecto, & veritati, quam reuelat ob testimonium Dei: ac proinde, non ita reuelatæ ob testimonium Dei, & infallibilitatem in cognoscendo accedit. Tum etiam, quia, nec physicam, nedum metaphysicam, infallibilitatem haberet, etiam si à Deo, ut speciali causa actiue physice, non autem testificatiue, causaretur. Siquidem Deus specialis causa erroris intellectualis plurimum, & mea sententia, absolute, & absq. ulla indecentia esse potest. Secundo probatur: quia illustratione immediate à Deo facta in Angelis supremæ hierarchicæ, & chori ex qua, & inferioribus obiecta, & veritates illuminationis hierarchicæ intinenda sunt, discunt à Deo Angelis illi supremæ ergo, & à Deo immediate docentur, tum quippe duo hæc essentialiter correlatiua: atqui magisterium, nequit exerceri solo physica actione cognitionis obiecti in discipulo, sed doctrina, & loquela, seu locutione Ma-

gisti ad Discipulum, in qua testimonium ipsius de eo, quod discipulus docet, continetur: ergo Deus in negotio hoc illum nationis, obiecta, & veritates, de quibus supremos Angelos illuminat, loquitur reuelat, & testatur, quæ postmodum, pro eiusdem voluntate & visu, atque eius reuelatione aliis inferioris ordinis Angelis superiores manifestantur; ac proinde nullum obiectum illuminationis hierarchicæ est, quod in Deum testimonium Angelorum, & subinde Dei respectu illorum immediati magistri per locutionem, & testimonium veritatum, & obiectorum illustrationis, & hierarchicæ illuminationis, expressus est: Dionysius de celesti hierarchia c. 4. illis verbis. *Divinus illustrantibus sibi accommodatis discunt, & rursus ad propinquiora, & cognita, quod dicere transmittunt.* Athanasij recitat cert. 1. dum. 7. initio illis. *Cherubin, & Seraphim, sine ulla mediatore aut interprete à Deo consensunt.* Vbi illud, aut interprete, ad argumentum hoc pendendum in primis; interpretes enim locutionis, & in præsentia diuinæ, qua supremos illos spiritus illustrat, seipso, & immediate illuminat, proculdubio est. Item ea voce supremos hos spiritus respectu inferiorum, quos illuminant, interpretes diuinæ locutionis esse Athanasius docet. Ac proinde illuminationem, non nisi de eis esse, quæ Deus loquitur, & testatur, & clarius Bernardus, 1. de considerat. c. 4. de cherubinis. *Ex ipso sapientia fonte ore altissimi haurientes, hilante de summa voce quod non, nisi de loquente dici potest.*

9. Probatur tertio conclusio. Quia Angeli supremi ordinis non solum veritates obiectivas, seu obiecta, erga, quæ à Deo immediate illustrantur, sed lucem iubar, & splendorem ipsum, quo illustrantur, & obiecta ipsa, abditas alias, & eorum mentibus tenebrosa, & obscura, illustrata sunt, & lucida in inferiores Angelos tradunt, & transfundunt, ita Dionys. 3. de celest. hierarch. *Vbi indulum sibi sacratissimum iubar affixum habuerunt, hoc ipso postmodum, absque intermediis sequentibus fundunt.* Sophronius encomi. de Angelis, sic de Seraphinis. *Splendorem (quantum fas est) absque ulla medio exceptis, exceptisque ceteris mentibus, & intelligentiis communicant factis: Damascen. lib. 1. c. 3. Peripetuum est eis, qui præstantiores sublimiorisque sunt, splendorem, & cognitionem inferioribus impertire.* Atqui iubar, & splendor hic nil aliud esse potest, nisi eorum obiectorum, & veritatum, erga quæ supremi illi Angeli immediate à Deo illustrantur, reuelatio, & testimonio ipsi à Deo exhibita, atque ab eis in Angelos inferiores traducta, atque his simul cum veritatibus, & obiectis, de quibus instruuntur, & illuminantur hierarchice, ex parte obiecti proposita, ut ob istam præfatis obiectis assentiantur: Ergo Dei reuelatio, & testimonium est ratio sub qua, & formalis, ob quam obiecta, & materia proxima hierarchicæ specialis illuminationis veritates, & obiecta prædicta constituuntur. Minor probatur, quia iubar & splendor ille ipse, qui à supremis illis spiritibus à Deo immediate hauritur, & excipitur, & ab eis in Angelos inferiores transfunditur, transmittitur, & traducitur, nequit esse lux & splendor cognitionis, & scientiæ de obiectis illis, qua formaliter Angeli illi supremi (qua veritas claritate) ea obiecta cognoscunt: Tum, quia hanc suam scientiam de eis obiectis, vitalem scilicet actum, nequeunt Angeli illis communicare, atque item, neque inferiores Angeli eadem perfectione, & claritate illa ipsa obiecta cognoscere: Tum etiam, quia etiam adeo specialiter, & ut particulari causa, actus physicæ solummodo concurrente scientiæ formalis illorum obiectorum, in actu secundo splendorem recipere, haurire illum immediate à Deo, & immediatius, quam inferiores Angeli dici, non possent: cum eodem modo Deus, ut causa particularis ad scientiam eorum obiectorum, eumque lucem, & splendorem in actu secundo deberet concurrere; ac proinde, & si immediate etiam illum à Deo exciperent, & haurirent. Tum, quia haurire splendorem à Deo, aliud placet, quam ab ipso actu

physicæ scientiam ipsam ut à concausa partiali (cum Angelus ipse, ad ipsam, aut potius actum vitalem necessario debet concurrere) aperte significat: Tum denum, quia cum Angelus supremus Dei loco, ut causa partialis nequeat ad actum scientiæ Angelii inferioris de illis obiectis concurrere, scientiæ de illis splendorem à superiore inferior recipere immediate non poterit: quare neque superiore mediante recipere poterit à Deo, ut Patres, & Scholastici omnes docuerunt. Restat ergo, ut splendor, & iubar illud, quod supremi Angeli immediate à Deo hauriunt, atque idem ipsum, iuxta Patres, in inferiores Angelos transmittunt, & traducunt, sit splendor, & iubar ex parte actus primi ad eorum obiectorum scientiam se tenens, ea, quæ de se abditæ, obscuræ, & tenebrosæ, illustrandis, illuminandisque, mentibus Angelorum, illustrata, & lucida ex parte obiecti eisdem mentibus reddat, ut percipi, ac intelligi ab eis possint, si eo ipso iubare, & splendore suffusa proponantur. Hoc autem iubar, & splendor, quem immediate Angeli à Deo hauriunt, & excipiunt, eundemque ipsum in inferiores transfundunt, & quo suffusa obiecta eisdem proponunt, nil sane aliud, quam reuelatio, & testimonium Dei esse potest: quoti immediate à Deo supremi Angeli hauriunt, & audiunt, ac inferioribus cum obiectis, & veritatibus illuminationis hierarchicæ propriis, ut eis assentiantur proponunt.

10. Quarto probatur conclusio ratione ab absurdo, quam secundo loco posuit. S. Thom. cit. q. 107. a. 2. ut primam confirmaret de necessitate reductionis, veritatem omnium, de quibus hierarchica illuminatione instruitur illuminatus, ad Deum, ut primam regulam veritatis scilicet in cognoscendo, & in dicendo (quod solum eis, ut reuelatis à Deo, sine, ut Dei reuelationi subest contingit) quia alioqui earum cognitione non perficeretur intellectus Angelii illuminati (debita nimirum perfectione hierarchicæ illuminationis) imo nec absolute perficeretur. Hanc rationem etiam negligunt, & facile confutatam essent Ariaga, & alij; quinimo & principia, ex quibus S. Thom. dilexerit, non facis animadvertunt. Et, quoad primum de perfectione intellectus illuminati debita ex hierarchica illuminatione facile probatur. Quia debet esse cognitio essentialiter, & ex obiecto vera, certa, & infallibilis, nullquam subiecta de se, errori, & falsitati, cum ratione status beati Angelii illuminandi: tum, quia ea cognitione veritatum, ad Dei similitudinem intellectualem scientiam de eisdem debet illuminatus, quam maxime seu, ut aiebat Dionysius c. 3. de cel. hierarch. *quod eius fieri potest accedere;* quod per solum testimonium Angelii illuminantis, etiam ratione status, nec falli, nec fallere possit illuminatum testimonio de eis veritatibus præstito, fieri nequit: quia adhuc infallibilitas, quam eis veritatibus, earumque assensui præstito ab illuminatione afferret, cum adhuc infallibilitate, & certitudine creati testimonij, ac subinde creatæ, inotescerent, neque quam maxime, & quoad eius fieri potest infallibilitatem, & certitudinem, ex testimonio Dei perveniret: ergo, ut digne perficerentur illuminatus Angelus hierarchica illuminatione, opus est, ut ex obiecto formali, & motivo diuinæ reuelationis assensus, veritatibus contingentibus de se, de quibus instruitur, ab illuminante hierarchice, certus sit, & infallibilis. Secundo, ex Dionysio, & Patribus recitat cert. 1. n. 6. & 7. nullus Angelus (etiam infima hierarchicæ, & chori) illuminatur perfectione digna, hierarchicæ illuminationis, nisi diuinis illustrationibus de veritatibus, de quibus instruitur: nil autem nisi diuina de eis reuelatio, illustratio diuina in præsentem esse potest (cum non sufficiat specialis Dei, ut causæ particularis physica efficiencia in assensum illuminati ut supra ostendimus) nec illuminantis de eis veritatibus testimonium, ut patet: ergo, ut reuelare à Deo, sine, ut diuinæ subest reuelationi, debent veritates præfate ab illuminante, quovis Angelo, cuius illuminato propop. ut perfectione debita illuminationi hierarchicæ illuminati intellectus, earum cognitione perficiantur, quod autem, nisi certa, & infallibilis

saltem physice, cognitione, & cui falsitas, & error physice subesse non possit, perfectio intellectus (adhuc hominis viatoris, nedum Angeli beati) absoluta, & absolute talis non sit probant exempla humana, quae adducit S. Thomas, qui ait: *si unus homo dicat alteri Deus est creator calis, & terra, vel homo est animal rationale, illuminat, & perficit intellectum hominis, scilicet absolute perfectione, & absolute tali; quia, scilicet, primum ex certo principio, & ratione naturali; secundum vero hominis definitionem continet inductione demonstrabilem, & ad plura demonstranda principium; vel ex motu revelationis Dei, certiori, utique, & excellentiori, id dicit, ac docet. At si unus alteri dicat, hoc volo facere, vel, ut facias, non erit illuminatio intellectum alterius perficiens: quia non pertinet ad perfectionem intellectus mei; quid tu velis, vel quid tu intelligas, cognoscere, sed quid rei veritas habeat. Id autem duplici ex capite quia de singularibus, non est scientia: & de contingentibus praeteritum, cum ex suis causis, esse fore, absolute nequeat demonstrari. Secundo, quia secreta cordis, solum ex voluntate, & testimonio eius, cuius sunt cognosci ab alio possunt, quod si is creatura est, cognitio certa, & physice adhuc, infallibilis non erit: quare, nec erit absolute per se ipsam perfectio, nec per cognitiones alias, ad quas habedunt instruit intellectum, quae eadem fallibilitate, qua ipsa, cui innotantur, laborabunt, poteruntque, & fors erunt physica vitia, & errores: quod si ea, ex Dei revelatione cognoscerentur certa eorum secretorum, atque infallibilis, etiam metaphysice, cognitio esset, ac subinde absoluta intellectus perfectio, & ad primam regulam veritatis accederet. Qua de causa S. Thomas ad primum ait, si Deus alicui diceret, quid vellet ipse facere, vel quid vellet, ut ille alter faceret, illuminandum, perficiendumque, illius alterius intellectum.*

11. Ratione a priori demonstratur, id ipsum. Nulla absoluta perfectio intellectus potest esse vitium physicum illius: omnis cognitio physice incerta, & fallibilis potest esse vitium physicum intellectus, siquidem error esse potest; ergo nulla cognitio physice incerta, & fallibilis potest esse perfectio absoluta intellectus quod quidem de omni intellectu, adhuc hominis viatoris aequè probat. Sed quid dicemus, (inquit Arriaga,) de viris in humanis facultatibus, & scientiis doctissimis, quae probabilibus conclusionibus, solumque ex probabilibus principiis probabiliter, ac proinde fallibiliter, nec certo physice, ac metaphysice deductis, fere omnino constant? Scilicet eos, sua quaeque facultate naturali absolute, non perfici? Certè dicemus, quod proxima dicit demonstratio: eos partibus scientiae suae, quae probabilibus solum, & fallibilibus constant absolute non perfici. Quid ergo illos à Deo suspicimus, veneramus, ac miramur, si tam paucas habent cognitiones, quibus absolute eorum intellectus perficiantur? Quia (dicam) melius, seu minus malum est probabiliter veritatem dispicere, quam omnino, ignorare, ac lulum esse, quam caecum. His obiectis, & debilibus instantiarum nostri Arriagae d. 22. scilicet, 3. nebulae, & umbræ dispartent: maxime ad rem praesentem. Etsi enim in homine viatore probabilis solum assensus, ac subinde fallibilis perfectio absoluta intellectus censeretur, inde ad perfectionem illuminatiuum Angelorum in statu beatico, & hierarchico ex fallibili etiam cognitione duci consequentia nequit: quod autem ad assensum veritatis, & obiectis hinc propriis illuminationis hierarchicae ut à Deo reuelatis, nequeat, non superioris Angeli illuminantis reuelatio intercedere, cum eorum reuelatio immediate inferioribus illuminatis à Deo non fiat, sed interuentu superiorum, non probat horum de reuelatione digna earum veritatum testimonium motivum formale assensus eis veritatibus, qua illuminationis hierarchicae proprii, esse posse, nedum debere, ut ex dictis patet: sed solum Divinam earum veritatum reuelationem, ob quam solum illuminatus, eis veritatibus assentitur; tamen iudicio praeiudicis inferioris illuminati de existentia reuelationis earum, testimonium illuminantis Angeli de existentia reuelationis efformando subseruiat. Quemadmodum apud nos Patrochi, vel Doctores de reuelatione mysteriorum propositio ob quam, si fide infallibili, & supernaturali credimus, minime eis myste-

riis credimus, sed ob propositam Patrochi testimonio reuelationem, ut haec totum eis mysteriis assensum motivum sit; Patrochi vero propositio motivus eius para applicatio: quia inde assensus fidei nostrae obiectum certum, & infallibilis ipsi intrinseca natus; tamen subiectiva certitudo possit notare: quia de re fusius contrarium de fide diximus. In casu vero nostro, nequit is assensus illuminati Angeli, adhuc subiective notare: quandoquidem ratione status beatici Angeli illuminantis ab illuminato cogniti de veritate testimonij ab illo praestiti de Divina reuelatione, nequit dubitare illuminatus: cum in eo statu, nec falli illum, nec fallere posse cognoscatur: ac proinde eius testimonium esse creata infallibilitate certum, & infallibile.

12. Haec conclusio doctrinam ad rem praesentem S. Thomae, & Discipulorum eius communem, veram, & facilem, ex minore tamen aliorum intelligentia, difficilem, ac facillime impugnabilem, & cum alia eiusdem doctrinis pugnantem etiam expellendam, & consequentem ostendit. Ea vero est: Angelorum intellectum illustratione, & illuminatione hierarchica ad obiecta, & veritates, quas de se percipere non possent intelligendas, roborari. Ita ille q. 106. a. 1. q. 111. a. 1. illuminatione Angeli superioris, & proponi obiectum, & corroborari intellectum inferioris ad illud percipiendum docet, id quod docuisse videtur Dionysius c. 4. de celesti hierarchia illis verbis: *Quasi illud ordo Divinae legis sonat: ut quae secundum locum obviunt ab eis, quae primum, ad divinitatem erigi: erigi vero elevationem, & corroborantem illuminati per illuminationem superioris significat, praeter veritatis cognoscendam propositionem, quae verbo excitari significatur. Consequent S. Thomae corroboratioem hac Capite, in 1. d. 11. q. 3. a. 3. ad Durand. Hieronymus d. 9. q. 1. a. 1. Caiet. ad citatum a. 1. q. 106. & Thomista reliqui soat, cit. c. 11. ac d. incipit. Duo tamen primi modis confortationis huius, ex parte intellectus se habentes improbabiles, improbatique satis ab Aegidio olim, & postea à Durando S. Thomae tribuunt & defendunt, quoniam se ab eorum impugnationibus, adhuc probabiliter, exonerent. Caietanus facilitatem confortationem intellectus Angeli illuminati ab illuminante, non qua hic ex parte naturalis virtutis intellectus, augmentum, siue intrinsecum, siue inherens, siue physice ab illuminante communicatum recipiat (ut duo praeterea aiebant), S. Thomae tribuit, ac defendit, sed ex parte obiecti, & arte, ac Magisterio, quo veritates illuminato proponit, ut ad eas cognoscendas facile perveniat, ad quas, absque eo Magisterio, & arte proponentis non perveniret, quam corroboratioem veram censet Vazquez d. 116. & laudat, c. 3. n. 1. §. 8. Haec sententia Caietani conformemque etiam suae doctrinae c. 5. merito censet, ac etiam doctrinae expressae S. Thomae q. 9. de veritate a. 1. corp. & solut. argum. fatetur eodem §. n. 16. cum dicit S. Thomas corroborati intellectum Angeli illuminati, ex eo, quod in superiore illuminante videat aliquid cognatum ad alia cognoscenda inferiorem: sicut in humanis discipuli mens corroboratur, ex eo, quod à Magistro, eiusque doctrina principium aliquid recipiat, ex quo alia cognoscere possit, verum cum citatis locis ex S. Thomae 1. p. ubi vltia obiecti ab illuminante propositionem, confortationem illuminati intellectus angelici conmerat, imo, & hanc ad rem ab illuminatione in illuminatum, nec solum ex parte propositionis obiecti provenire dicat, Caietani doctrinam, ex mente S. Thomae loco, quem Caietanus interpretatur assensum non esse, neque doctrinam questionis, §. de veritate cum doctrina primae partis concordat. Maxime, cum eadem 1. p. q. 117. a. 1. dicat, dupliciter unum hominem ab alio educeri posse, & propositione aliquorum, quibus paulatim ad ignem veritatis cognitionem ducatur, & corroboratioem intellectus à Magistro, quam fieri subdit, Non quidem aliqua virtute activa, quasi superioris naturae, sicut supra dictum est (scilicet locis citatis ex 1. p. De Angelis illuminantibus), quia omnes humani intellectus sunt unius gradus in ordine naturae; sed in quantum propriis discipulo ordine principiorum ad conclusiones, qui sunt per se ipsum non habentes tantam virtutem collectivam, ut ea principia possent conclusionem deducere. Quibus non sola obiecti propositione intellectui Angeli illuminati, sed*

aliqua aſſuitate, & actiōe in illum confortari ab illuminante docet Angelicus Doctor.

13. Verum, cum explorata ſententia S. Thom. de hac intellectus Angelici confortatione ab illuminante habeatur q. illa 9. de veritate intelligenda hæc loca 1. partis ſunt, ne ſibi aduerſetur, de aſſuitate immediata, vel phyſica, vel exactiua illuminantis Angeli in intellectu, illuminati ſpecierum iudicij ſui de obiecto, de quo hunc vult inſtruire, non ſolum ſecundum ſe ſumpro- rum (quod in omni Angelica locutione, etiam inferioris ad ſuperiorem Angelum, inuenitur, vt diximus ſupra Angelorum locutionem explicantes, & S. Thomas cenſet, ac proinde in illuminatione, (quæ ſpecialis, & nobiliſſima locutio illuminantis Angeli) eſt verum, & illud ſe ex diuina reuelatione didiciſſe. Quæ non præſtat humanum magiſterium naturalium facultatum, quod ſolum extenſe per ſigna externa, veritates, & ſuum de illis iudicium diſcipulo proponit, nihil ſeipſo in eius intellectu agendo, nec ſupernaturale motivum reuelationis diuinæ proponendo, ſed ſolum naturalia principia, ob quæ illas ipſe ſcit, proponit diſcipulo, explicatione eius capiti accommodata, vt eſſendem veritatibus aſſentiantur, atque ita eas diſcat, & ſciat. Huc ſpectat Angelus illuminantis ſuperioris in natura reſpectu illuminandi, quam in hominibus S. Thomas, negat verbis datis, ac proinde immediatam aſſuitatem in intellectu diſcipuli ad confortationem illuminationis actio Angeli illuminati in illuminante requiſitam: quia obiecta, de quibus hierarchice illuminandus ab eo Angelus inferior eſt, niſi vt reuelatione Dei ſubſunt obiecta propria, & proximè, ac formaliter talia hierarchice illuminationis non ſunt: Et quorum proinde immediata reuelatio ſupremi ſolius ordinis Angelis, ac ſubinde ſupremæ etiam ſpecificæ, & excellentiſſimæ naturæ fieri debeat, ex eiſque ad inferioris, & inferioris ordinis, & naturæ Angelos, pro minori, aut maiori ordinis, & naturæ inferioritate, mediatus aut mediatus, & reuelatio, & obiecta illa, vt reuelata, deriuati, ſicque actiue illuminantes confortant illuminatos in S. Thomæ ſententia; quia, eis conceptus Angeli ſuperioris de eſſendem veritatibus, vt reuelatis à Deo, ſpecies indebitæ, & quibus, ultra vires naturæ ad ea obiecta, vt reuelata cognoscenda erigantur, & confortentur, ingeruntur. Rurſus, ex arte, & magiſterio, quo veritates, de quibus illuminari Angeli ab illuminantibus ſuperioribus inſtruntur confortatio alia actiue artificialiter, vt Caietanus ait, ab hoc proueniens inuenitur, quam confortationem ex parte obiecti poſſumus appellare, & ad quam q. illa 9. de veritate totam Angelus illuminati ab illuminante merito reducit; quia ea non niſi actiua, vel exactiua ſpecierum indebitarum, & ſupernaturalium illuminationis productione, fieri ab illuminante, poſſet, vt ex dictis elaret: quia, & iudicij illuminantis, & veritatum à Deo reuelatarum, ac ſubinde reuelationis, diuinæ ſpecies ſunt, ob quam veritatibus, de quibus inferior Angelus hierarchice illuminatione à ſuperiore inſtruitur, eſt aſſenturus, Caietanus; & Vazquez, qui ſolam poſterioſiorem admiſere, veritatis, & obiecti, cui illuminatus aſſenturus eſt, propoſitioni ſolummodo attendunt; cum motui ad aſſentiendum, ſcilicet, reuelationis propoſitioni deberent in primis attendere: in eo quippe proponendo attem, & magiſteriū adhuc naturalium facultatum maximè conſiſtere merito obſeruauit, & docuit locis citatis præſertim q. 117. & q. 9. de verit. ſcilicet in principiorum ſcientiæ, & ordine, quo ex illis, & propter illa conſeſiones deducuntur; à loqui diſcipulus veritates ſcientiæ illius non ſciat, ſed ex Magiſtri authoritate credit. Quare, & in aſſenſu veritatibus illuminatione hierarchica propoſitis præſtando, cum ob ea reuelationem, & teſtimonium præſtandus ab illuminato ſit, non veritates, ſed & reuelatio, quæ motivum, & principium vnicui formale eis aſſentiendi eſt, proponenda præcipue erit Angelo aſſenturo. Et hæc in S. Thomæ obſeruationem, dicta ſunt: cuius rationes, cum per ſummam propoſitiæ ab ipſo fuerint, mirum non eſt, non ita bene à pluribus, qui vel perfunctoriè, cum legunt, vel vocum ſono ſiſtunt, & hærent percipi, & penetrari.

Chriſtoph. de Ortega de Deo Vno, Tomus II.

CERTAMEN III.

Quid illuminatio ſit, quidque illuminatio præſtet, & quomodo fiat.

1. **T**Ria hæc connexa inter ſe ſunt, atque ex dictis cert. 2. facilius, clariſque, quam hæctenus ab aliis præſtitum fuerit, expedienda eſt igitur hierarchica illuminatio. Veritatum contingentium naturaliter ab illuminando Angelo in cognoscibilibus, vt diuina ſubſunt reuelationi, à ſuperioris ordinis Angelo, ex officio, & Dei voluntate inſtruitur, & manifeſtatio. Cuius deſinitionis bonitas per ſingulas eius partes oſtenſas conſeſionibus certaminis 2. aſſentum conſtat inſtructionem, & manifeſtationem hanc per locutionem Angeli ſuperioris ad proximè inferiorē illuminatum immediatam fieri debere concors doctorum ſententia eſt, & ex dictis ſatis oſtenſa. Vnde etiam conſtat, Angelicæ locutionis prædicatum genus ad illuminationem hanc hierarchicam eſſe, atque, vt ralem cum illa comparari. An vero ab alia, vel aliis ſpeciebus Angelicæ locutionis diſſeratur? Per capita, & ſeſiones multas ſocius præſertim, & Ariaga, ac Recentiores alij, ac breuius, ex antiquis non pauci diſputant; quia omnia, quoad illuminationem hierarchicam ſpectant, in cuiusvis ex eis diſputatione tangunt, & miſcent. Si autem ſortim materiam propriam illuminationis hierarchicæ, tum remotam, tum proximam exacte prius, & ſortim examinaſſent, breuitate, & facilitate, qua nos, ab ea quaſtione ſe expedirent. Differentia ſiquidem locutionis hierarchicæ illuminatiuæ à reliquis Angelicis ex parte locutionis, modique, quo vnus Angelus alteri, ſue ſuperiori, ſue inferiori loquatur, eſſe manifeſte, quod vellet, deſumit nequit: cum id totum, ex prædicato generico, in quo cum reliquis Angelicis locutionibus conuenit, locutioni hierarchicæ illuminatiuæ debeat competere: quare penes id ab eis diſſerere omnino repugnat, æquè ac hominem ab equo per prædicatum animalis, ali- quidve in eo contentum ſpecificè diſtingui. Tota ergo ex parte materiæ, & obiecti, cum remote, & purè materialis, tum proximi, & formalis, ſeu rationis, ſub qua propriè ad illuminatiuam hierarchicæ locutionem ſpectat, ab ea, quæ eſſentialiter reſpicitur, deſumenda eius ab aliis locutionibus angelicis ſpecifica differentia erit, quam ex dictis facillime monſtrabimus.

2. Et enim, cum hierarchica illuminatio, veritatum contingentium eſſe debeat, neceſſariorum, quales ſunt ſcientiarum naturalium, (quarum ſorte ſuperior Angelus plures aſſequitur, quam inferior, huiusque manifeſtare velit) ad inferiorē locutio ac illuminatio largæ erit qua neſcientiæ de illis tenebras ipſi pellat. Additur in deſinitione; naturaliter ab illuminando Angelo in cognoscibilibus, vbi Angelus, non ſolum nude ſecundum ſe, & nativum cuiusque intellectum, & naturalia reliqua ſumitur, ſed illuminandus cum omnibus, ſcilicet, quæ ex parte actus primi proximi, ſue in actu primo proximo, vt hierarchice illuminetur, requiruntur, ac de ſicſto præcedunt: cum autem ad illuminationem hierarchicam hierarchiarum, & chororum diſtinctio, & Angelorum pro cuiusque, & naturali ſpecifica, & ſupernaturali gratiæ, & donorum maiore, minore perfectione in ſuperiores, inferioresve gradum, & chorum diſtributio ſupponatur, vt ſuperior gradu Angelus illuminare, inferior vero hierarchice illuminari queat, quibus illuminandus Angelus inſtruitur plura poterit naturaliter cognoscere abſolutè, & ſecundum ſe contingentia, illi vero ſtatui, & ſupernaturali ornamento connexa, & conſectaria, vt ſupia obſeruabam, nec reſpectu ſtatus, & ordinis hierarchici illius & in contingentibus de- bent cenſeri; innaturaliter, ergo ab Angelo illuminando incognoscibilibus contingentibus veniunt, voluntatis

on 2 diuinæ